



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

LIV. Mauricius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

LIV. Mauricius.

Ex nobilissima Huttenica familia in Franconia progenitus, vir eximia pietate, multiplici doctrina, incomparabili morum suavitate ac variarum linguarum cognitione ornatissimus, ex Præposito summi Templi Herbipolitani constituitur Episcopus Eystettensis XXVII. Iunij anno M. D. XXXIX. non tamen, nisi post triennium consecratus, prout ipse sua manu in sæpius iam nominato Calendario notavit, his nimirum verbis. *Anno M. D. XLII. sum ego Mauricius in Episcopum consecratus per R. P. D. Christophorum Episcopum Augustanum ex familia de Stadion XVII. die Septembris.* Natus est Mauricius ipso die S. Catharinę anno M. D. III. patre Bernardo de Hutten, cuius Natalem adnotat filius in Calendario ad Epiphaniam Domini anni M. CCCC. LXXIV. obitum ad IX. Kalend. Martij anni M. D. XXXIX. Quo fit, ut filium Episcopali tiara ornatum non viderit, aliquot nempe mensibus prius exstinctus, quàm Mauricius ad S. Wilibaldi cathedram eueheretur. Mater tamen vidit, quippe anno M. D. XLIV. demum mortua. Interfuit Mauricius Synodo Prouinciali Moguntinæ, anno M. D. XLI. ut & Comitibus Imperialibus Augustanis anno M. D. XLVIII. Quem Sebastianus Archiepiscopus Moguntinus in præfatione Synodi vocat; *virum insigni eruditione præditum, & promouenda religionis zelo mirificè flagrantem.* Heu quam dissimilis Mauricius iste Huttenus, alteri ex eadem familia Hutteno, nempe Ulrico, furiosissimo & clamorissimo Sectarario, summo Lutheri amico, fautori, & promotori, qui tandem ab omnibus, ab ipso etiam Lutero de-

fora h's bone
fertus & proscriptus, in Heluetia, quo ceu ad asylum confugerat, miseram animam exhalauit. Jussu Caroli V. Imp. præfedit Mauricius Colloquio, quod inter Catholicos & Sectarios institutum est anno Christi M. D. XLVI. vt non tantum orthodoxi scriptores, sed & ipse Hæreticus Schleidanus testantur. Ex quo intelligas, quantæ Mauricius auctoritatis fuerit apud Augustissimum Imperatorem Carolum V. Mortuus est Mauricius anno Redemptoris M. D. LII. cui Valentinus Rothmarus, in Annalibus Ingolstadiensis Academiæ tale monumentum erexit.

Viuat in aetherea præsul dignissimus arce,

Et decus & generis gloria prima sui.

Non pietate minor, quàm fascibus ille superbus

Almonis Princeps, nec minor arte fuit.

Clara viris domus illa sacris, domus in clytæ Musis

Nobilis ingenis gens fuit illa bonis.

L V. Eberhardus.

Nobilis ab Hirnheim, Canonicus antea Eychstetensis & Præpositus Metropolitanus & Archidiaconus Salisburgensis. Electus anno M. D. LIII. Mortuus anno M. D. LX. cui Rothmariana Musa in Annalibus Academiæ Ingolstadiensis hoc mnemosynon posuit:

Nunc inter cæli vita meliore penates

Iure suo fruitur princeps, Diuumq; potitur

Aspectu, dura humana discrimina vita

Omnia post superata, æterna in pace repostus.

Reformauit & in meliorem ordinem redegit Breuiarium Eystettense. Editioni præfixum est hoc ingentilitia insignita Epigramma.

CORNHA